



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Die XXI. Junii. Festum S. Aloysii Gonzagæ Confessoris

[S.l.], [ca. 1770]

Lectio VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62800)

to & vigesimo jam inchoato, cum antea flagellis cædi, atque humi stratus mori postulâisset, migravit in cælum. Ibi eum Sancta Maria Magdalena de Pazzis tantâ frui gloriâ, Deo monstrante, vidit, quantum vix esse in cælo credidisset; ipsûmque sanctimoniâ insignem, & charitate Martyrem incognitum fuisse, prædicavit. Multis etiam, magnisque claruit miraculis: quibus ritè probatis, Benedictus decimus tertius Sanctorum fastis Angelicum Juvenem adscripsit, atque innocentia & castitatis exemplar simul & patronum, studiosæ præsertim juventuti dedit.

✠. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 22. v. 29.

In illo tempore, respondens JESUS ait Sadducæis: Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei: in resurrectione enim neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in cælo. Et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Chrysostomi.

Lib. de Virginit.

Virginitas est bona: id ego quoque fateor. Atqui nuptiis etiam melior; & istud

istud tibi assentior: ac si liber, illud ad-
jungam, tantò nuptiis eam præstare, quan-
tò cælum terræ, quantò hominibus Ange-
li antecellunt; ac, si quid prætereà adden-
dum est, etiam magis. Nam si neque nu-
bunt Angeli, neque uxorem ducunt; non
etiam carne & sanguine coagmentati sunt;
in terris prætereà non commorantur; non
cupiditatum, aut libidinum perturbatio-
nibus sunt obnoxii; non cibi indigent, aut
potus, non sunt ejusmodi, ut eos dulcis
sonus, aut cantus mollis, aut præclara
species possit allicere; nullâ denique ejus
generis illecebrâ capiuntur.

✠. Iste est.

Lectio VIII.

At humanum genus, cùm natura beatissimis
illis Mentibus inferius sit, omni vi,
studiòque contendit, ut, quoad ejus fieri
potest, illas assequatur. Quomodo? non
nubunt Angeli; at neque etiam Virgo. As-
sistentes illi semper ad Deum, eidem infer-
viunt; & istud ipsum Virgo. Quod si Vir-
gines; quamdiu corporis onere deprimun-
tur, quemadmodum Angeli, in cælum
nequeunt ascendere; illud eo vel maximo
solatio compensant, quòd, modò spiritu
& corpore sanctæ sint, cæli Regem recipi-
unt. Videsne virginitatis præstantiam?
quo-